

INDEX LOCORVM
ex V. T.

- Nr. 20) Deut. XXVIII. 4.
 22) Ies. IX. 6.
 3) — LXI. 1. 2.
 14) Hof. XI. 1.
 29. 30. 31) Zach. VI. 12. 13.
 24) Malact. III. 17.
 18) Ps. LXXXII. 17.

ex N. T.

- Nr. 19) Math. II. 15.
 26) — — — 23.
 9) — XXVIII. 9. 10.
 25) — XXVIII. 19.
 8) Luc. IV. 16-21.
 19) Io. VII. 25.
 5) — 11. 37-39.
 12) — — 32.
 26) — VIII. 6-8.
 26) Act. IX. 15.
 24) — XII. 19-22.
 11) Rom. VII. 12-24.
 13) — IX. tot.
 26) 1 Cor. XV. 29.
 23) 2 Cor. IV. 4.
 22) — XII. 4.
 23) Col. I. 15.
 19) Phil. II. 1. 2.
 23) Ebr. I. 3.
 3) 1 Petr. I. 16.
 7) 2 Petr. I. 16-24.
 6) — — II. 9-13.
 4) 1 Io. III. 9.
 6) Iud. 10.
 10) Apoc. X — XXI.

INDEX AVSTORVM

1. Nomen de donis sp. s. extraordinariis
2. Idem de natura et affectionibus donorum sp. s. extraordin.
3. Eiusd. paraphrasis epistolae Petri 2.
4. Idem ling. de ἀναγωγῆς ἐξ γεννητοῦν ἀδ. 111. 9.
5. Hoffmann observationes in 2 Petr. 11. 9-13. & iud. 8-10.
6. Eiusd. in 2 Petr. 1. 16-21.
7. Eiusd. in Luc. 11. 16-21. & Ep. 6 XI. 1. 2.
8. Eiusd. in Math. XXVII. 9. 10.
9. Oppin. in Apoc. X - XXI. d. 1.
10. Schulze ad Rom. VII. 12-20.
11. Wieland de praedictis iudaeorum non esse ex Nazareth prophetam prodire ad 10 VIII. 22.
12. Idem in Rom. 1 X.
13. Idem in Act. XI. 1. et alleg. alius Math. 11. 15.
14. Idem in Phil. 11. 12. vindicta a tauroscia.
15. Idem de ironia facta.
16. Idem de Mose in pro Egyptii perire.
17. Idem de nomine Messia ante solen filiato ad Ps. LXXII. 17.
18. Idem de nomine Messia ante solen filiato ad Ps. LXXII. 17.
19. Idem de nomine Messia ante solen filiato ad Ps. LXXII. 17.
20. Eiusd. vindicta tou ἑβραίου deut. XXVII. 4.
21. Idem de iustitia causa Israelitarum in bello adversus Canaanites.
22. Idem de Christo in fante patre eterni facti ad Is. 1 X. 6.
23. Idem de S. C. nino. D. I. in fante ad 2 Cor. 11. 4. Col. 1. 15. Ebr. 1. 3. Act. 17.
24. Idem de S. C. nino. D. I. in fante ad 2 Cor. 11. 4. Col. 1. 15. Ebr. 1. 3. Act. 17.
25. Idem de S. C. nino. D. I. in fante ad 2 Cor. 11. 4. Col. 1. 15. Ebr. 1. 3. Act. 17.
26. Idem de S. C. nino. D. I. in fante ad 2 Cor. 11. 4. Col. 1. 15. Ebr. 1. 3. Act. 17.
27. Idem de S. C. nino. D. I. in fante ad 2 Cor. 11. 4. Col. 1. 15. Ebr. 1. 3. Act. 17.
28. Idem de S. C. nino. D. I. in fante ad 2 Cor. 11. 4. Col. 1. 15. Ebr. 1. 3. Act. 17.
29. Idem de S. C. nino. D. I. in fante ad 2 Cor. 11. 4. Col. 1. 15. Ebr. 1. 3. Act. 17.
30. Idem de S. C. nino. D. I. in fante ad 2 Cor. 11. 4. Col. 1. 15. Ebr. 1. 3. Act. 17.
31. Idem de S. C. nino. D. I. in fante ad 2 Cor. 11. 4. Col. 1. 15. Ebr. 1. 3. Act. 17.
32. Idem de S. C. nino. D. I. in fante ad 2 Cor. 11. 4. Col. 1. 15. Ebr. 1. 3. Act. 17.

vid. Nr. 5 p. 107
Nr. 25 *

7

ORACVLVM
 IN
 EVANG. LVCAE CAP. IV, vs. 16-21.
 EX
 ESAI. C. LXI, vs. 1. 2.
 CITATVM,
 AC
 NOTIS PHILOLOGICO-CRITICIS
 ILLVSTRATVM.

DEO IUVANTE
 RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO,
 SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
 DOMINO

IO. CAROLO LVDOVICO,

COMITE PALATINO RHENI, DVCE BAVARIAE,
 COMITE VELDENTIAE ET SPONHEMII,
 EQVITE AVRATO ORDINIS S. HVBERTI, rel. rel.

PRAESIDE

IMMANVEL HOFFMANN,

LING. GRAECAE PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO, DVCALIS
 SEMINARII THEOLOGICI EPHORO, ET FAC. PHILOS.

h. t. DECANO,

PRO GRADV MAGISTERII

AD D. OCT. MDCCLX.

IN AVDITORIO PHILOSOPHORVM AESTIVO

DEFENDENT

THEOPHILVS HENRICVS HARTER, *Mittelftadiensis,*

CAROLVS FRIDERICVS RENZ, *Kircho-Teccensis,*

SER. STIP. ET MAG. PHILOS. CANDIDATI.

TVBINGAE, LITTERIS ERHARDIANIS.



ORAGVYM
EVANGELIUM
ESSA
NOTIS PBI O. UNICO CRITICIS
PROMPTI PUNCTATI
IO. CAROL. J. LEONICO
IMMANUEL BOHEMANN
THEOPHILUS
CAROL. & ERNEST.





PROOEMIUM.

Dvo præcipuè *R. Isaac* in libro virulento, *Chis-suk Emunah*, contra Christianos urget, quod nim. Allegationes V. T. in Novo nec intentioni Scriptorum V. T. nec verbis eorum, sive textui ebræo, respondeant; Moderni *Anti-Scripturarii*, Religionem Christianam oppugnaturi, itidem hoc argumentum in primâ quasi acie collocant, quod N. T. ne quidem cum *ad Vetus* provocat, cum illo conspiret; *Guil. Whistonus* autem è discrepantiis citationum istarum à textu ebræo *hujus* corruptionem probare sustinuit; nec dubium est, hodieque multorum animis adparentem istam V. ac N. T. pugnam offendiculo esse. Laborem igitur haud pœnitendum suscepisse confidimus, quando Allegatis N. T. philologico-criticè illustrandis Prælectiones nostras privatas huc usque impendimus, DNN. AUDITORIBVS NOSTRIS occasionem simul hoc modo daturi, suam in utrâque linguâ sanctiore exercendi industriam; in quibus & *Præstantissimos* DNN. CANDIDATOS RESPONDENTES, qui propediem *hujus Dissertationis* mecum se vindices fistent, profectus suos luculenter demonstraturos esse, nulli dubitamus. Exsurge veritas, & interpreta Scripturas tuas!



§. I.

Tota Pericopa, quam, ut aurum gemmula, ornat illustre illud *Allegatum*, cui per observationes quasdam philologico-criticas nonnihil lucis jam adfunderé animus est, LVCAE Cap. IV, vs. 16-21. in fonte græco sic legitur:

- Υ. 16. Καὶ ἦλθεν (ὁ Ἰησοῦς) εἰς τὴν Ναζαρετ, ἣ ἦν τετραμμίσιος· καὶ εἰσῆλθε κατὰ τὸ ἑωθὸς αὐτῷ, ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῶν σαββάτων, εἰς τὴν συναγωγὴν· καὶ ἀνέστη ἀναγνῶναι.
- Υ. 17. Καὶ ἐπέδωκε αὐτῷ βιβλίον Ἠσαΐε τοῦ προφήτου· καὶ ἀναπτύξας τὸ βιβλίον, εὗρε τὸν τόπον, ἃ ἦν γεγραμμένον·
- Υ. 18. Πνεῦμα Κυρίου ἐπ' ἐμέ, ἃ εἵνεκεν ἔχρισέ με εὐαγγελίζεσθαι πτωχοῖς, ἀπέσταλκέν με ἰάσασθαι τοὺς συντετριμμένους τὴν καρδίαν, κηρύξαι ἀίχμαλωτοῖς ἄφεςιν, καὶ τυφλοῖς ἀνάβλεψιν, ἀποσῆλαι τετραμμίσιος ἐν ἀφέσει.
- Υ. 19. Κηρύξαι ἐν αὐτοῖς Κυρίᾳ δικαίαν.
- Υ. 20. Καὶ πτύξας τὸ βιβλίον, ἀπόδωκε τῷ ὑπηρέτῃ, ἐκάθισεν· καὶ πάντων ἐν τῇ συναγωγῇ οἱ ὀφθαλμοὶ ἦσαν ἀτενίζοντες αὐτῷ.
- Υ. 21. Ἦρξατο δὲ λέγειν πρὸς αὐτούς, Ὅτι σήμερον πεπλήρωται ἡ γραφὴ αὕτη ἐν τοῖς ὠσίν υμῶν.

Indubiè verò verba comm. 18. & 19. defumta sunt ex *Esaiæ* Cap. LXI, vs. 1, 2. ubi in Ebræo hunc in modum Propheta perorat:

רוח אֲדֹנָי יְהוֹיָהוּ עָלַי יַעַן מָשַׁח יְהוָה אֶתִּי לְבַשֵּׁר עֲנִיִּים
 שְׁלַחֲנִי לְהַבְשִׁיל בְּנִשְׁבָּרִים—לֵב לְקַרְא לְשִׁבְיָם דְּרוּר וְלְאַסְוִיָּם
 פְּקֹר—קֹרֵם לְקַרְא שְׁנֵי—רְצוֹן לְיְהוָה

§. II.

Multa sunt, quæ *Allegatum* hoc præ aliis memorabile reddunt. Est enim *Christi ipseus*, valde *copiosum*, sub *circumstantiis* planè *singularibus* prolatum, *Luca* Evangelio privum ac proprium, & denique *alio* quodam *allegato*, eidem sapientissimè intexto, ditatum; Postquam scilicet memorasset
 Lucas



Lucas Cap. III, 22. grande illud Phænomenon ad Jordanem, *descendentis* nim. super JESUM, cum baptizaretur, *Spiritus Sancti*, Cap. IV, 1. autem, quod JESUS, *Spiritu S.* plenus à Jordane reversus, ab eodem *Spiritu* actus fuerit in desertum, & ejusdem Cap. v. 14, 15. quod *in virtute Spiritus* è deserto reversus sit in *Galilæam*, quodque in Synagogis ejus docuerit, hoc quidem eventu, ut glorificaretur ab omnibus, nostram mox subjungit historiam, quod videlicet JESUS *Nazaretham* quoque venerit, ubi enutritus fuerat, & pro more suo *die Sabbathi Synagogam* intraverit, in eâque *surrexerit* ad legendum, & ex Libro *Esaïæ*, à *Ministro* Synagogæ ipsi porrecto, locum hunc non *prælegerit* modò, sed etiam *in se impletum esse* testatus sit hoc Epiphonemate: *Hodie impleta est hæc Scriptura in auribus vestris!* Itaque A) *allegans* est Christus ipse, qui Allegato hoc, sibi vindicatio, post inaugurationem ad Jordanem, & præparationem in deserto, publicè ac solenniter civibus suis Nazarethansibus sistere se voluit, ut *Messiam à Prophetis prædictum*, & ab *Esaïâ* imprimis descriptum *Summum DEIque Spiritu plenum Evangelistam de Cælo*. B) vel maximè notari meretur *tempus*, quo hæc contigerunt; *Lucas* generatim *ἡμερὰν τῶν σαββάτων* nominat, incidisse autem simul in istud Sabbathum *diem Expiationis*, quo incipere solitus erat annus jubilæus Lev. XXV, 9. B. BENIGELIVS probat *in Ord. Temp.* p. 253. f. & *in Harm. Evang.* p. m. 113. §. 32. quæ annotasse, deinceps juvabit.

§. III.

C) Quum v. 16. Christus in Synagogâ *surrexisset* dicitur *ad legendum*, illustranda hæc sunt *ex Antiquitatibus Judaicis*; Habebant scilicet Synagogæ Judæorum suos *Lectores*, quorum erat, *Legem & Prophetas* in Synagogis, *stantes, non sedentes*, (a) prælegere; neque hæc functio erat stata & ordinaria pars muneris *unius personæ*, sed à quolibet *habili viro*, ad

(a) Vid. VITRINGA de Synag. Vet. p. 980. n. 2.



Archi-Synagorum arbitrium, liberè potuit exerceri. (b) Divisa erat hoc sine *Lex*, seu Pentateuchus, in *Paraschas*, sive *Sectiones*; singulis verò Paraschis respondebant singulae *Haptharæ*, sive *Lectiones Propheticae*, ita dictæ quasi *Missa*, sicut earum Lector *Maphthir*, dimissor, quod iis lectis populus dimittatur, quas unà cum Paraschis in peculiari *תל* seu *tabulâ* aut indice exhibere solent Biblia Judaica. Non autem *unum eundemque* semper fuisse Lectorem Paraschæ & Haptharæ, sed hunc ab illo maximam partem distinctum, itidem ex ipsorum Hebræorum monumentis constat. (c) Unde nec hic *de Christo* legimus, quod surrexerit ad legendam *Sectionem Legis*, sed *Haptharæ*. (d) Lectâ verò hâc non semper populum continuò dimissum fuisse, sed Prophetarum lectionem sæpius exceperit *concionem*, ab ipso Haptharæ lectore, aut alio quodam, habitam, pariter nullum est dubium. (e) Haud itaque mirum, Christum lectioni propheticae subungere potuisse *explicationem istius textûs prophetici*; Quo & pertinet, quod Act. XIII, 15. legimus, scil. post peractam Legis & Prophetarum lectionem Archisynagogos Paulum & Barnabam *ad concionem habendam* invitasse. D) quum Lucas v. 17. *volumen Esaiæ Prophetæ* Christo datum fuisse perhibet, subaudiendum est, factum id esse *וּבְיַד רֵאשִׁית הַמִּשְׁמָרָה*, à ministro Synagogæ, *רֵאשִׁית הַמִּשְׁמָרָה*, cujus inter alia fuit, Librum Legis ex arcâ depromere, & finita lectione in eâdem recondere, huic enim Christus v. 20. *reddidisse* librum dicitur. (f) Ceterum quando *SVIDAS* in *Lexico* sub voce *ἱεροδότης*, hinc colligit, Christum *Sacerdotem* fuisse, quia scil. populo non licuerit, enarrare S. literas, insignem h. m. rum

(b) Vid. *idem* cit. libro p. 947.

(c) *ibid.* p. 991. f.

(d) Ceu ex eo rectè colligitur, quod v. 17. Minister surgenti Christo *volumen propheticum* porrexisse dicitur, non *volumen Legis*.

(e) *VITRINGA* id probatum dedit c. 1. p. 994. f.

(f) Conf. *idem* p. 889. fs. ubi prolixè disserit de Ministris Synagogæ.



rum Judaicarum imperitiam prodit, cum & alii ex Israël, qui non erant Sacerdotes, imò ne quidem *Levitæ*, ad lectionem publicam in Synagogis admissi fuerint, contra verò nemo ex aliâ tribu, quàm Leviticâ, Sacerdos esse potuerit; Christus autem erat ex tribu *Juda*.

§. IV.

E) Verbum *ἀναρτίξας* v. 17. & *πρόξας* v. 20. quorum *illud* propriè significat *revolvere* seu explicare volumen convolutum, *hoc* verò, illud iterum *convolvere*, nos admonet de *formâ* librorum istius ætatis. Constabant scil. libri Legis & Prophetarum ex membranâ vitulinâ, in longitudinem ad aliquot ulnarum spatia confutis, quæ conscriptæ erant characterè polito quidem, sed crassiore, ab utrâque autem extremitate suâ annexæ duobus lignis tornatis, quæ inserviebant *partim* tollendo ac ferendo volumini, *partim* convolvendo & complicando circa illa tamquam cylindrum aut axem ligneum, partim revolvendo eidem & explicando, (g) hinc phrasîς קָפַץ - תִּלְתֵּל Psalm. XL, 8. Observasse hoc juvat contrâ RICH. SIMONII *ἑρμηνα*, antehac inauditum, quasi *sparsis scbedis* inscripta fuerint oracula sacra, circumvolutis cylindro, quæ, dum sæpè, postulante usu, volverentur ac revolverentur, ita invicem sint *permixtæ*, ut quid *primo*, quid *medio*, quid *ultimo* loco ponendum sit, parùm hodiè constet. Utique circumvoluta erant cylindro volumina sacra, eum in modum, quo hodiernum in Synagogis Judæorum conspiciuntur, sed *scbedas sparsas* circumvolutas nemo umquàm vidit; Integræ potiùs partes S. Scripturæ, v. g. Esaiæ Prophetia, inscriptæ erant membranâ ad justam usque longitudinem confutis. F) ad verba com. 17. *ἔρπε τὸν τόπον*, notamus a) præter rem τὸ ἔρπε à quibusdam ita intelligi, ac si Christus volvendo revolvendoque *datâ operâ* locum hunc *quæstiverit*, sicque *invenerit*, (b) cum potiùs *illic*

(g) Vid. idem p. 200.

(b) Sic VITRINGA c. l. p. 999. sub fin. Christum, ait, *inquisito*
Esaiæ



Et quasi fortuito, (i) Libro vix aperto, in eum incidisse videatur, mox lectioni *ordinaria* ex Cap. Esaiæ LVIII. quæ erat *matutina die Expiationis*, illum à se jungendum esse iudicans, ut ansam haberet, annum gratiæ promulgandi. b) videri posset *latinismus* esse, quum Periocha Esaiana à Christo allegata, *τίπος* appellatur, (k) & magis græcè Lucas videtur dicturus fuisse *περιοχή*, ut Act. VIII, 23. aut *περικοπή*, quo vocabulo IUSTINVS M. & HIERONYMVS Græcorum exemplo usi sunt; Sed rectè observat GROTIUS, *Plutarchum* aliosque *Græcos* auctores itidem hâc dictione uti, cui apud alios respondeat vox *χαρίων*.

§. V.

Quod jam G) ipsum locum ex Esaiâ hic allegatum attinet, notandum est, Textum hunc propheticum numquam inter Haphtharas ordinarias relatum fuisse, sed Christum, cum lectionem matutinam *Diei Expiationis*, (sepositâ pro more lectione Sabbathica, (l) ex Esai. LVII, 13. LVIII, 14. recitasset, mox eidem subjunxisse è Cap. LXI, 1. 2. hanc pericopam, quem utrumque textum Lucas deinceps eleganter contexit, ex Haphtharâ diei Expiationis & quidem Esai. LVIII, 6. textui C. LXI. verba quædam inferens, ut infra docebimus. H) Quum Christus v. 20. lectâ Haphtharâ, textuque alio, paulò post subsequente, & libro *τῶ ὑπηρέτη* reddito, *consedisse* dicitur, eo ipso significavit, se non modò *surrexisse ad legendum*, sed etiam nunc *sedere ad docendum* vel *concionandum*; Licet enim potestas concionandi *Archi-Synagogis*

Esaiæ loco, qui exstat C. LXI, 1. f. unum inde alterumve versum prælegisse. Similiter GVIL. SVRENHVSIVS *Βιβλ. Καταλλ.* p. 341. pro certo affirmat, IESUM peculiarem locum sibi competentem *quisivisse*. ut Judæis ostenderet, huncce locum de ipsius personâ agere; nec abludit I. R. RVSIUS *Harm. Ev. T. I. p. 527. incidit, in illum vatis locum, invenitque, quem quisivit.*

(i) Uti BENGELIUS in *Gnom. ait.*

(k) Velut CICERO & TARENTIVS *locum libri* aliquoties dicunt.

(l) Vid. BENGELII *Ordo temporum* p. 254. & VITRINGA *C. L. p. 986.*



magis primariò competeret, eos tamen haud solos hoc officio in Synagogis functos esse, sed idem magnâ libertate quibusvis *Doctoribus* concessum fuisse, è Scriptis Judaicis testatissimum dederunt viri in iisdem versatissimi (m), & hæc ipsa concionandi libertas Christo & Apostolis tam sapè in Synagogis concionandi copiam fecit. Putamus, optimè sic componi posse illam Eruditorum litem, quando disceptant, an Christus *lectoris* vices hic obierit, an *concionatoris* (n). *Lectorem* egisse Christum, non modò concionatorem, rectè colligitur ex eo, quod v. 16. 17. *surrexisset* dicitur ἀναγνῶναι, ad *legendum*, quodque, annuente sine dubio Archi-Synagogo, traditus ei hoc sine fuit liber Propheta Esaiæ, non sanè ut legeret, quidquid vellet, sed ut legeret Haphtharam, *Festo* Expiationis destinata; Postea verò Christum etiam *Concionatorem* egisse, meritò arguitur *tum* ex eo, quod *Lectio* prophetica stando peractâ, *consedit* v. 20. *sedere* autem in Synagogis Doctorum erat non *Lectorum*, *tum* inde, quod v. 21. expressè dicitur: ἤξαστο λέγειν neque enim tota concio iis solummodò verbis, quæ comm. 21. exstant, constituisse censenda est, cum versus 22. clarè innuat, largissimè illum fudisse λόγος χάριτος; Addimus è VITRINGAE loco citato, licuisse Prophetarum *Lectoribus* ab uno *Textu* ad alium transilire, ac viginti & unius versuum, ordinariè prælegendorum, si concio haberetur, nullam habitam fuisse rationem, & conciones cum *lectionibus* propheticis subinde conjunctas fuisse. I) denique monendum est, *attentionem* auditorum Christi v. 20. laudatam, non modò è *consuetudine*, quæ in Synagogis obtinuit, sed etiam è v. 14, 15. derivandam esse, h. e. ex eo, quod *fama* de doctrinâ Ejus, alibi locorum in Galilæâ *omnium adplausu* exceptâ, animos Nazarethanorum in antecessum magna de *Oratore* hoc estimatione impleverat.

§. VI.

(m) e. g. VITRINGA c. l. p. 704.

(n) Vid. idem p. 1000. SVRENHVSIVS B. K. p. 340. f. WOLFIUS in Cur. p. 608.



§. VI.

Ordo jam postulat, ut ipsa *Textus graeci* verba cum *Textu ebraeo* conferamus, & si opus sit, conciliationem utriusque tentemus. 1.) verba initialia: *πνεῦμα κυρίου ἐστὶν ἐν ἐμοί*, cum verbis *textus ebraei* רוח אדני יהוה עלי, fatis exactè conspirant, hoc uno excepto, quod *Lucas* duplex nomen Dei, *Adonai Jehovi*, uno *Κυρίου* nomine exprimit, & sequens *Jehovah* planè omittit, ubi *SURENHVSIVS* (o) præter rem confugit ad veterum Ebraeorum morem, qui, prolixiora Scripturae verba citantes, abbreviare illa fuerunt; Id enim non Ebraeis tantum, sed omnis generis Scriptoribus in more est, neque *Lucas* sic abbreviavit, sed verba modò exhibet, prout apud *LXX.* illa invenit; Christus autem absque dubio integrum textum ebraicum prælegit. Ceterum phrasis, quæ *Spiritus S. esse dicitur super aliquem*, omnium primò occurrit, Num. XI, 25. ubi agitur *de Spiritu, qui super Moysen erat*, communicando cum Senioribus Israël; Significat autem illa, Spiritum S. instar columbæ aliquem expansis quasi alis tegere & obumbrare, totum occupare, obsidere, & tamquàm in loco quietis tenaciter ei adhærescere (p); *Ezechiel* (q), mutatâ phrasi, passim dicere solet, *manum Dei super se fuisse*, qui enim à Spiritu Dei eum in modum afficiebantur, toti hoc tempore erant in potestate Dei & Spiritus Ejus, arètè ab Ipso circumscripti, nec ullâ ex parte sibi relicti. In *Christo* autem ratio subiecti hoc prædicatum in omni suâ emphasi sumere jubet, ita, ut designet *partim* collationem Spiritus S. majori præ omnibus Prophetis ac Sancis mensurâ, Ps. XLV, 8. coll. Ebr. I, 9. imò sine mensurâ, Joh. III, 34. *partim*, quod Spiritus ita super Christum sit, ut nemo hujus doni evadere queat particeps, nisi *per Ipsum*,
hujus

(o) B. K. p. 342.

(p) Verba damus VITRINGÆ in Comm. ad Esai. P. II. p. 823. col. b.

(q) Cap. I, 3. III, 14.



huius enim est, dare suis oleum latitiae v. 3. Act. II, 33. Nimis igitur angusta est *Paraphrasis Interpretis Chaldaei*, Textum sic vertentis: *Spiritus Prophetiae à coram Jehova Deo est super me*, quod *Judaei & Grotius* avidè arripiunt, ut verba in *Esaiam* eò melius quadrent; Longè *plura* Spiritus S. *donata* hanc phrasin complecti, è contextu & locis parallelis *Eesai. XI, 2. XLII, 1. ff.* manifestum est.

§. VII.

2.) Verba: ἵ ἐνευεν ἐχριστέ με, optime respondere ebraicis: ויען משה יהוה אתי, vix dubitari posset, nisi negotii nonnihil facesseret particula ויען, quam Lucas cum LXX. reddidit ἵ ἐνευεν; Qu. enim a) an ista vertenda sit, *propterea, datum*, uti *Lutherus* in *Esaiâ* interpretatus est, quo pacto τὸ esse Spiritus S. super Messiam esset *antecedens*, unctio ipsa *consequens*, illud *causa*, hæc *effectus*? an verò *propterea quod*, vel eò *quod*, weil er mich gesalbet hat, vel, *dann er hat mich gesalbet*, quasi dictum esset ויען אשר, non simpliciter ויען, quâ ratione unctio Messiae *rationem* contineret mansionis Spiritus Domini super Ipsum. *Prius* qui statuunt, adeòque *causam* unctiois faciunt, quod Spiritus Jehovæ erat super Eum, ii, ne tautologiam admittere necessum habeant, *vel* duplicem ab *Esaiâ* innui putant unctioem, *primam* quidem, quæ in Incarnatione Messiae facta sit, *alteram* verò, quæ in Baptismo, quâ ratione sensus hic foret: quia Spiritus Domini super me est, jam ab incarnatione mea, in quâ humana mea natura uncta fuit illo invisibiliter, propterea visibiliter quoque in Baptismo ad Jordanem unxit me; *vel* τὸ ἐχριστέ non accipiunt de collatione donorum Spiritus S. sed *de eo*, cujus ergò facta est illa, scil. de ipsâ *muneris impositione* actuali, ut sensus sit: quia super me est Spiritus Domini, propterea *unxit*, i. e. ordinavit, vocavit, instruxit & misit me &c. At cum tota pericopa Christum sistat ut munere suo prophetico *actu fungentem*, & ipsa Textus *phraseologia* fati innuat, primum de *statu uncti*, deinceps de *actu*



actum unktionis sermonem esse, quem ille status præsupponit, malumus nos quidem cum iis facere, qui *posterius* assumunt, quod scil. unctio allegetur pro causâ, cur Spiritus S. super eo sit, adedque יי reddendum putant, *propterea quod*, in sensu causali non illativo, α) quoniam non modò אשך יי significat *ed quod*, vel, *quia*, ut v. g. Gen. XXII, 16. & כי יי Esai. XXIX, 13. sed etiam יי simpliciter positum, e. g. Ezech. V, 11. Num. XX, 12. & per pleonasmum emphaticum יי וביי Ezech. XIII, 10. β) quia sic verbum *εχει* ordinariam suam significationem retinet, quâ denotat *actum ungenti*, cui in antec. respondet *status*. Ast, inquis, sententia: Spiritus Domini est super me, per accentum distinctivum *atnach* separatur à seqq. Respondet VITRINGA (γ); Masorethas posuisse hic Atnachum, quod alio loco eum figere non potuerint, cum reliqua sic cohæreant, ut divelli à se invicem nequiverint; Solere autem illos hunc accentum passim in omnia commata inducere (paucis exceptis) ac proinde sæpius locare in ejusmodi membris, quibus distinguendis minores distinctionum notæ sufficerent. Si jam b) quaeratur: num τὸ יי ita sumto in textu græco benè respondeat phrasis εἴκεν, rectè respondetur, & hanc non modò notare *quapropter*, sed etiam *quia* vel *propterea quod*, adedque non *consequentis* tantum, sed etiam *antecedentis* notam esse, unde LXX. illud adhibent Gen. XXII, 16. ubi אשר יי, & Num. XIV, 43. ubi כי על כן vertendum erat, quorum utrumque notat *propterea quod*; Observat etiam BENGELIUS in Gnom. ad h. l. *Animonio ερεκα* idem esse quod ετι.

§. VIII.

3.) Ad verba: εναγγελισαδαι (ita enim legendum, non εναγγελισθαι, partim ob consensum *Codicum*, partim ob sequentes *avistos*) πρωχαι, notamus a) dissentire Interpretes, an *construi* debeant illa cum *antecedentibus*, an cum *sequentibus*?

(γ) Comm. in Es. p. 827. col. a.

bus? five, an interpunctio ponenda sit statim post *ἔχρισε*, an verò post *πτωχοῖς*, ita ut *ἀπέσαλλέ με* regat sequentes duntaxat infinitivos, *ἰάσασθαι - κηρύξαι - ἀποσῆλαι - κηρύξαι*. Nobis *accentuatio* ebraica omninò potcere videtur, ut *εὐαγγελισα-θαι πτωχοῖς* ad ditionem verbi *ἔχρισε*, non autem verbi *ἀπέσαλλε* referamus; Accedit *auctoritas* Paraphrastæ Chaldaei, Interpretis Syri, Tertulliani &c. Altera verò interpunctio sine dubio originem debet versioni Alexandrinæ, quæ istam hodiè habet in omnibus Editionibus, exceptâ *Hervagianâ*, è quibus & *Hieronymus* forte illam didicit, nec non *B. Luthervus* noster. b) Ebræum כשר rectè verti per *εὐαγγελισα-θαι*, quivis agnoscat, qui considerat, verbum istud apud *Esaiam* numquàm non *de bono ac laeto nuncio* usurpari, vid. Cap. XL, 9. LI, 7. & profectò, quantum interfit inter id, quod Hebræi vocant הנוד, *nunciavit, indicavit*, & כשר, *bona & optata nunciavit*, edocere nos potest insignis locus 2. Sam. IV, 10. ubi *hammaggid* & *mebbasser* expressè distinguuntur, *hammaggid*, inquit David, mortem Saulis mihi *nunciatus*, visus sibi est esse *mebbasser*, bonus nunciatus, sed occidi illum, cui videbar *besorab*, præmium, debere pro bono nuncio (s). c) ebræum מניו tam LXX. quàm Lucam rectè vertisse *πτωχοῖς*, etsi aliàs מניו significet *mansuetum*, מניו autem *pauperem*, ex eo liquet, quod utraque vox verbum מנה, *afflixit*, pro radice agnoscat, & Scriptores sacri utrâque ad designandum tum *mansuetum* tum *pauperem* promiscuè utuntur, quos enim v.g. *Esaias* מניו vocat C. II, 4. eosdem C. XLIX, 13. מניו adpellat.

§. IX.

4.) Verba: *ἀπέσαλλέ με ἰάσασθαι τὸς συντετριμμένους τὴν καρδίαν*, iterum exactè referunt ebraica illa: לחננו לחבש, *luch-nu-luch-shu*, excepto uno, quando scilicet לחבש, quod proprie

(s) Vocabula, *εὐαγγέλιον*, & *εὐαγγελισθαι* profanis quoque Scripturis in usu esse, I. A. FABRICIUS docet *Bibl. Gr. L. IV. p. 127.* & ER. SCHMIDIVS in *Annott. ad N. T. p. 3.*



priè sonat *obligare*, (vulnus scil.) exprimitur per *ιάσαθαι*; quod est *sanare*. At quantum est hoc discrimen? Textus Hebraeus exprimit *antecedens*, Græcus *consequens*, per metonymiam consequentis pro antecedente; Messias certè obli-
gavit contritos corde, cum effectu *sanationis*, missus ad hoc ipsum à Patre, rectè ergò emphasin textûs ebr. sic expressè-
runt LXX. nec erat, cur eos hic desereret Lucas, sicut in seqq. ubi pro *καλέσαι* ponit *κηρύξαι*, ab iis recessit. Cete-
rùm nec hoc præterire fas est, quòd totum hoc incisum, *ιάσα-
θαι-καρδιαν*, Codices haud pauci, nec non Versiones qua-
dam ac Patres planè omittant, ceu videre est in BENGELII
App. Crit. ad h. l. unde & GROTIUS (†) probabilius esse
judicat, additam esse hanc particulam textûs ex *Esaiâ* &
LXX. Intt. quàm ab aliis Exscriptoribus omisam, cum
præsertim Scriptores N. T. sæpè Prophetarum verbis utan-
tur eâ libertate, ut verba quædam in medio omittant, id
quod eò minore sensûs damno fieri hîc potuerit, quia Pro-
pheta variato sæpè loquendi genere rem eandem exprimat.
Enimverò rectiùs alii tuentur *αυθεντιαν* horum verborum
*) quoniam ipsa illa adparens tautologia in hoc textu omis-
sionem horum verborum Librario sciolo facilè persuadere
potuit, β) quia lectioni receptæ favent multi Codices, quin
& Versiones ac Patres omnibus Codicibus antiquiores (u),
γ) quia Textus Ebraeus & LXX. illam habent, quos Lucam
ob oculos habuisse è totius Allegati tenore liquet.

§. X.

5.) Sequitur in textu: *κηρύξαι ἀρχμαλώτοις ἄφροισιν*, hicque
observamus a) ebræum *קָרַן* benè ac emphaticè exprimi
per *κηρύξαι*, quia *קָרַן* sæpè etiam in significato *proclamandi*
fumitur, e. g. Lev. XXV, 10. Dan. III, 4. b) *סִבְיָוִי*
propriissimè redditur per *ἀρχμαλώτοις*, quia utrumque *capti-
vos*

(†) Consentiente MILLIO ad h. l. & in Proleg. §. 415.

(u) Vid. BENGELII *App. Crit.* ad h. l.

vos notat. c) ebraicum קָדָר, quod *libertatem*, oppositum captivitatis, significat, LXX. & cum iis Lucas optime reddiderunt per ἀφῆσιν, *dimissionem*, Loslassung, quemadmodum & libertas *anno jubileo* proclamanda vocatur ἀφῆσις c. l. Lev. XXV. ubi in ebraeo pariter est קָדָר. Hæc plana sunt & facilia, quum autem 6.) additur: καὶ τοφλοῖς ἀτάβλητον, hæere video Interpretes in conciliandâ hâc versione τὰν LXX. & Luca cum textu ebraeo: וְלִאֲסוּרֵי פֶקֶד-קוֹחַ, nam dubio procul אֲסוּרֵי sunt *vincti*, seu vinculis constricti, in carcere, atque sic vi oppositi פֶקֶד-קוֹחַ erit *apertura carceris*, qui ergo Lucas cum LXX. *vinctis* substituere potuit *cacos*, & *aperturæ carceris recuperatum visum*? Incipiamus à voce קוֹחַ-פֶקֶד: Sunt a) qui existiment, compositam esse hanc vocem ex duabus, פֶקֶד, *aperuit*, & קוֹחַ, *carcer*, à קָחַ, *capere*, ut *vel* sit nomen, denotans *aperturam carceris* (x), *vel* verbum nomini junctum: *aperi carcerem* (y), è quibus etymologiis prior Vitringa rectè videtur probabilior (z); nihilo tamen minus tueri se nequit, ideò, quia nullo probari potest testimonio, קוֹחַ significare carcerem. Præstat igitur b), cum ABEN-ESRA, GROTIUS (aa), CALOVIO, VITRINGA, aliisque statuere, קוֹחַ-פֶקֶד *unam* esse *vocem* thematis originarii פֶקֶד, duabus radicalibus posterioribus emphaseos causâ geminatis, ut, si פֶקֶד notet *aperturam*, קוֹחַ-פֶקֶד valeat *aperturam plenissimam, omnimodam*, cujus geminationis, epitasin facientis, exempla haud pauca suppeditat

(x) Quod RVSIUS placere video Harm. Ev. T. I. p. 532.

(y) Quæ sententia apud IARCHIVM & KIMCHIVM legitur.

(z) Comm. in Esai. P. II. p. 825. col. a.) ab initio.

(aa) Qui tamen in Annot. ad Esaiam resorbet, קוֹחַ derivans è linguâ Chaldaicâ, ubi קוֹחַ *lorum* designat, quo vinciri soleant captivi, unde hoc loquendi genus credibile sit sumsisse Esaiam, quod de eâ captivitate ageretur, quæ per Chaldaeos facta est. Hoc scilicet! tibi cine opus erat ad firmandam hypothefin de reditu ex Captivitate Babyl. hic prædicto.



ditat GLASSIUS (bb). At, inquis, פקא & קוק cum hiatu scriptum test, adhibito vinculo *makeph*, quod nonnisi ad duas voces distinctas in unam prononciationem conjungendas adhiberi solet, Ergo קוק non fit per meram repetitionem duarum radicalium thematis פקא, sed vox est planè à priori diversa; R. speciem habiturum esse hoc dubium, si nullus nobis suppeteret Scripturæ locus, ubi repetitæ radicales per *makeph* cum radice conjungerentur; Extat autem talis Jer. XLVI, 20. ubi יפה-פיה, *pulcherrima*, cum *makeph* scriptum est, & KIMCHI rectè annotat: *nomen hoc scribitur ut duæ dictiones, significatio autem tamquam unius est, & secunda ac tertia radicalis geminatae sunt ad summam pulchritudinem indicandam.* Putem sanè, hunc locum rem omninò conficere, ut pro certo statuere liceat, פקא-קוק hinc denotare *omnimodam & plenariam apertionem*; Num verò *carceris*, uti vox אסורים, *vincti*, innuere videtur, an *oculorum*, de quibus LXX. & Lucas exponunt? Observemus sequentia: Si quis expendere velit loca, ubi verbum פקא occurrit, deprehendet, illud non significare *quamvis aperturam*, ut פחה, sed *sepius* eam, quæ ad oculos pertinet, *semel* itam, quæ ad aures; acutum videntes vel audientes dicuntur habere oculos seu aures נפקחים, vid. Esai. XXXV, 5. XLII, 20. Hiob. XXVII, 19. Ps. CXLVI, 8. Gen. III, 5. Exod. IV, 11. Rectè proin LXX. פקא-קוק interpretati sunt ἀνεβλεψον, ad indicandam plenissimam libertatem; oculos huc & illuc, quæ lubet, circumferendi, indeque etiam, ut continuarent metaphoram, non minùs rectè לאסורים verterunt τυφλοις, ita tamen, ut per *cæcos* non tam intelligerent eos, qui propriè oculorum cœcitate laborant, quàm illos, qui tenebricoso carceri inclusi tam sunt in tenebris, & tam non vident, ac ii, qui verè cœci sunt, ita sanè Esai. XLII, 7.

eodem

(bb) Philol. S. Ed. Budd. pag. 588. f. quibus addi potest ex Prov. XXI, 8. הפכפך, *maximè volubile, versatile*, & ex Ps. XXXVIII, 11. לבי סחרחר, *cor meum valde circumit, seu palpitat.*



eodem significato ponuntur *οι τυφλοι* & *οι δεδεμένοι*, ac Esai. XLIX, 9. *οι εν δεσμοις & οι εν σιδεροι*. *Captivi* dicuntur *cæci*, ut Latinis *cæci oculis capti*, quia tam illis quam his *liber* non est oculorum usus. Atque hæc sufficere arbitror ad vindicandam τῶν LXX. & Lucæ translationem, ut aded non opus sit, cum SVRENHSIO (cc) eò confugere, quod Lucas, pro more veteribus Ebræorum Theologis recepto, loco primario ex Esai. LXI, 1. verba quædam ex alio, qui extet Esai. XLII, 7. inferuerit, fortioris probationis & illustrationis ergo; Licet enim posterior hic locus omninò parallelus sit, eum tamen cum altero illo in unum conflare voluisse Lucam, eapropter non est verisimile, quia α) Evangelista prorsus hoc modo neglexisse censendus esset verba: *Ἔν τῶν τῶν ἀπεριεργισμένων*; β) quia cum hisce versio græca: *καὶ τυφλοῖς ἀδελφοῖς*, faciliè conciliari potest, ut modò ostendimus; γ) quia LXX. quoque ebræa eodem modo verterunt ut Lucas, hunc autem illos nec hic, nec ullibi aliàs respexisse, ac in allegationibus suis secutum esse, SVRENHSIVS absque idonea ratione & contra omnem evidentiam supponit (dd).

§. XI.

Quid autem γ) sentiendum est de verbis: *ἀπεριεργισμένοι ἐν ἀφίσει*, quibus non modò in Textu ebræo nil respondet, ubi *versus* τ. finitur voce *מק-קרא*, & 2dus infit verbis: *אשר נתן לקראל*, sed quæ etiam in LXX. virali desiderantur? a) Omnium minimè audiendus hic est GVIL. WHISTONVS, qui ex eo, quod Lucas hæc verba habeat, temerè colligit, extitisse primitus aliquid iis respondens in textu ebræo, Judæorum fraude postea expunctum; Frustrà enim hæc tantum verba suffurati essent è textu, quem Christus totum sibi asseruit; Cedat iis hæc particula textûs in prædam, reliqua certè sufficiunt, ut Christum in iis agnoscamus, vivis coloribus depictum. Sunt

b)

(cc) B. K. p. 343.

(dd) Vid. VITRINGA c. l. p. 825. n. A.



b) qui cum **BEZA**, **DRVSIO** & **CLERICO**, abundare hæc verba putent, fortè adscripta olim ex **Esaï. LVIII, 6.** ad Editionem τῶν **LXX.** ac inserta deinceps contextui **Lucæ**; sed gratis hæc & sine ulla ratione dicuntur, tum demum speciem habitura, si nullo modo ostendi possit, Christum ipsum hæc verba Allegato ex **Esaï. LXI.** intexuisse; contrarium paullò inferiùs demonstrabitur. Sunt c) qui cum **SCHICKARDO** nostro (*ee*), **HVMPHR. PRIDEAVX** (*ff*), **LEVSDENIO** (*gg*), & **BARTOLOCCIO** (*hh*) asserant, Lectionem hanc Sabbathinam Christi Domini apud **Lucam** nec **Ebræo** nec **græco** textui congruere, sed potius **Chaldæo**, unde probabile sit, ex aliquo tunc extante & vulgo intelligibili **Targum** à Christo recitatam fuisse; Ast nec hoc effugio opus est (*ii*). Sunt d) qui cum **SVRENHVSI** **c. l.** verba: *ad dimittendum contritos in remissione*, vel à **Jesu** vel ab **Evangelistâ** desumpta putant è loco **Esaïæ XLII, 7.** at frustra nobis recurrere videntur ad locum, ubi sensus quidem horum verborum latet, sed non verba & phrasæ, nam pro **τε-θραυσμένους** ibi legimus **δεδεμένους**, & pro **ἀποστέλει ἐν ἀφθείῃ, ἔξηγαγεῖν ἐκ δεσμῶν.** Meliùs longè e) calculos suos subducunt, qui verba, de quibus anquiritur, petita existimant ex **Esaï. LVIII, 6.** quamvis in eo sibi haud consent, an à **Luca** demùm, an *ab ipso Christo* oraculo **Capitis LXI.** inserta censeri debeant? a) **VITRINGA** (*kk*) opinatur, **Lucam** demùm hæc verba adjecisse ex **Es. LVIII.** cum scilicet videret, **Esaïam** unâ phrasi: **Ἔ** *vinculis apertionem*, suggerere nobis voluisse notiones duorum beneficiorum, nimirùm per vocem **פתח-קור** beneficium *aperturæ oculorum*, & per vocem **אסורי** beneficium *aperturæ carceris*, quarum

(ee) In **Bechinat Happeruschim** p. 21.

(ff) In der **Connexion A.** und **N. T. II.** p. m. 665.

(gg) In **Philologo Hebræo-mixto** p. 35.

(hh) **T. I. Biblioth. Rabbin.** p. 410.

(ii) Vid. **CARPZOVII Critica S.** p. 476. & **WOLFIVS** in **Cur.** ad h. l.

(kk) Loco suprâ cit. p. 325. not. A.



notionum *primam* saltem apud LXX. invenerit, adscripsisse illum hæc verba ad perfectiorem dicti intelligentiam; At verò, etiamsi haud negemus, Scriptores N. T. ubi *ipsmet* dictum aliquod V. T. excitant, quandoque illius verba paululum immutasse, vel & addidisse nonnihil, ut ne Interpretes tantum ac meri Translatores essent, sed etiam Exegetæ simul, sicque ipsa eorum versio claritatem novi testamenti referret, id tamen iis in Allegatis obtinere haud putamus, quæ *Christi* sunt, & ab ipsis historicè tantum referuntur, si enim *his* explicationis gratiâ quædam verba inseruissent, quæls, quem loquentem inducunt, non est locutus, fecisse credendi essent, quod *Historici* non est. Propius igitur β) à vero absunt, LIGHTFOOTVS (II), WOLFIVS in Cur. ad h. l. aliique, qui *ipsmet* Christo adscribunt combinationem loci Esai. LVIII, 6. cum loco Esai. LXI, 1, 2. sed desideramus in iis, quod nullam aliam facti hujus rationem allegare potuerint, quàm vel istam *generalio*rem, quod aliis quoque exemplis N. T. constet, Christum & Apostolos nonnunquam oraculis V. T. quæ citabant, quædam ex aliis locis, illustrandi causâ, addere suevisse, quæ WOLFII ratio est, vel etiam, ut LIGHTFOOTVS, *specialio*rem hanc, quod Christus hæc addiderit, ut explicaret, quæ in antec. Esaias dixerat de visu victis restituendo; Mirum sanè, nemini horum Eruditorum, qui tam propè ad veritatem accesserunt, in mentem venisse, quod B. BENGLIO in mentem venit, Christum scil. hæc verba ex Esai. LVIII, 6. addidisse, quia particula erant *Haphtharæ*, *Festo Expiationis prælegi solite*, ubi Textus græcus ipsissima hæc verba habet: ἀπέσπελλε τὴ θραυσμίνης ἐν ἀφίσει. Eleganter enim h. m. contexit Haphtharam ordinariam illius Festi cum textu extraordinario, qui, legenti *illam* è volumine, simul in oculos incurrit, quemque eidem subjecit, ut ἀφείσιν Israëliticam Es. LVIII. adcommodaret ad ἀφείσιν per Messiam, Es. LXI. Audivistis, inquit, ἀφείσιν, liberam dimissionem eorum,

(II) Harm. Ev. p. 483.



eorum, quos vel injustè oppressistis, vel etiam debito vobis obstrictos crudeli exactione divexastis, postulare à vobis Deum, at quantillum hoc est, si comparetur cum ἀφείσαι, quam Ego jam vobis prædico.

§. XII.

8.) Verba: κηρύξαι ἐνιαυτὸν κυρίῳ δεξιῶν, benè respondent ebraicis: לקרא שנת רצון ליהוה; cum enim לקרא nimis pressè à LXX. redditum esset per κηρύξαι, Lucas emphasin verbi קרא, quod etiam *proclamare* significat, ut suprà monuimus, plenius exprimere voluit verbo κηρύξαι. Quaritur autem, quid per *Annium Gratiae* intelligendum sit? a) Secundum communem sententiam is designat *totum tempus N. T.* quo Deus O. M. suam ἐν ἀδελφότητι εὐδοκίαν seu complacentiam liberalissimè demonstrat; *Annium* autem hoc omne tempus dici existimant, non ob annum præcisè spatium, sed, si quæ emphasis lateat in voce, *annus*, illa ipsis petenda videtur ex similitudine cum *anno Hebræorum Jubileo*, ad quem alludat heic Propheta, aded, ut phraseologiam quoque suam in hoc loco mutuetur *ex lege de Jubileo* Lev. XXV, 9, 10. ubi (quod suprà jam subindicavimus) in ebræo vox דרוור & in græco vox ἀφείσαι de *libertate* promulgandâ, nec non verbum קרא de *promulgatione ipsâ* usurpatur. Ultrâ hoc tertium comparationis vocabulum *annii* non urgendum esse, iidem probant ex eo, quia termini, *tempus, annus, dies*, alibi inter se permutentur, nam in loco Esai. XLIX, 8. עת רצון, *tempus gratiae*, & יום ישועה, *diem salutis*, idem esse, sicque etiam Esai. XXXIV, 8. dici: quia *dies* erit vindictæ Jehovæ, *annus* retributionum, & C. LXIII, 4. quia *dies* vindictæ est in corde meo, & *annus* redemptorum meorum venit. His tamen non obstantibus alii b) strictius intelligi putant *tempus gratiae Judæis concessum*, quo scil. Deus Filium suum ad populum suum

re-

(mm) Ita SVRENHVSIVS B. K. p. 344. f.

(nn) Ita I. R. RVSVS Harm. Ev. p. 534.

(oo) Harm. p. 137.



rebellem miserit, qui prædicaret ei, se cum ipso in gratiam rediturum, si pœnitentiam ageret, & promissiones, Patribus de Messia datas, in Jesu Nazareno amplecteretur, sin verò minus, certo certius venturum esse diem vindictæ; quo pæcto *annus Gratia* annis circiter LXX. constaret; alii c) annum gratiæ ulterius restringunt *ad tempus ministerii Christi in terris*, triennium, & quod excedit, complectens, *in quo impletam esse* hanc prædictionem ipse Christus asserat v. 21. Alii denique d) strictissimè intelligunt *unum aliquem* ex tribus annis Ministerii Christi; æ) LIGHTFOOTVS existimat, siquis hic designetur annus, optimè intelligi *annum mortis Christi*, qui *annus Jubilei* fuerit non tantum sensu spirituali, sed etiam propriè. At si consulamus *tabulam* annorum Sabbaticorum & Jubilæorum in BENGELII *Ord. Temp.* p. 415 - 423. patebit, anno ætatis Christi XXIII. qui erat Ac. Dion. XX. incidisse Jubilæum, non verò A. XXXIII. quo mortuus est. *Hic ipse* (pp) propterea ß) *de Anno 2^{do}* Ministerii Christi heic cogitat, & quia Christus Scripturam de Anno Gratia *illo die* impletam pronunciat; Factum verò hoc est ineunte anno secundo ministerii (qq) Ejus, adedque annum gratiæ hic promulgasse censendus est, cum inciperet annus, quem Galilææ totum destinaverat. 1) *Galilæa* regio erat, cui lux magna locupletissimè conspicienda fuit, Esai. IX, 2.3. Matth. IV, 15. ff. Luc. IV, 14. f. 31. f. Quemadmodum ergò *locum*, ejusque longitudinem & latitudinem adcuratè notavit Esaias, sic valdè est verisimile, eundem & *tempus* videndæ lucis elocutum esse. 2) cum totum istum annum Galilææ, præsentia sua collustrandæ, impenderit Jesus, ita ut *Galilæorum nomen* tunc ortum sit, cum eandem tot præclaris Gratia suæ documentis impleverit, quæ *Matthæus* describit Cap. IV, 12—XVI, 12. inclus. *Marcus* Cap. I, 14—VIII, 26. *Lucas* Cap. IV, 14—IX, 17. *Johannes* Cap. VI. tot. is meritò sanè singulari quâdam ratione *annus gratia* audit.

§. XIII.

(pp) In *Ord. Temp.* p. 255. & *Harm. Ev. Ed. 1.* p. 112. f. 221.
(qq) Vid. *Ordo Temp.* 242.



§. XIII.

Quodsi autem jam e) dicendum sit, quid nobis videatur in hoc sententiarum divortio? epicrisis nostra huc redit: a) *Esaïas*, phraseologia sibi consuetâ, per *annum Gratiae* procul dubio intelligit *primario* quidem *triennium* illud, quo Christus officio suo in terris functus est, quia Messias in hoc vaticinio de eo propriè loquitur, quid Ipse prædicaturus sit? *Secundariò* verò etiam *XL. illos annos*, à morte Christi usque ad Excidium Hierosolymitanum, quia *cum anno gratiae* jungitur *dies ultionis Febovæ*, qui sanè adparuit in isto excidio, & quia Paulus adhuc 2. Cor. VI, 2. tempus inter mortem Christi & excidium Hieros. *tempus gratiae & diem salutis* vocat, allegato etiam *parallelo Esaïæ loco C. XLIX, 8.* Quum autem β) secundùm Opticam Spiritûs Prophetiae, *prospectus* Esaïæ absque dubio ulterius se extenderit, ita ut cum anno gratiae, quem è propinquo memorat, simul remotè etiam *totum tempus N. T.* uti cum die ultionis in Excidio Hieros. omnia reliqua Judicia Dei usque ad diem Judicii extremi, hocque ipsum, simul ei ante oculos fuerint, utique nec hoc à sphaerâ visionis propheticae excludere consultum ducimus. Existimamus autem simul γ) *Christum*, hoc oraculum allegantem, egregiè illud adplicare potuisse, *sensu specialissimo*, ad *singularem* istum *annum Gratiae*, qui Galilæis tum adfulgebat, quum Christus, *solemni isto Expiationis die*, inciperet, *ἔργον* suum inter eos potissimum habere, quemadmodum v. g. Petrus quoque Act. II, 16. s. vaticinium Joëlis, quod amplioris alioquin ambitûs est, rectè tamen in solezni istâ Effusione Spiritûs S. primâ N. T. Pentecoste, impletum dicit. Confidimus, hanc nostram diversarum sententiarum conciliationem cuivis, rem seriò expendentis se commendaturam esse (rr). Quod verò non tantùm *Valentini-*

ni,
(rr) Haud quidem aliàs ex iis sumus, qui vagam istam Hermeneviticam amant, quâ intempestivo quodam irenicismo interpretationes maximè discrepantes conciliari, ac pro vero & pleno hujus illiusve loci sensu obtrudi solent, quasi nulla inesset oraculis Dei *præcisio*; cautè potiùs arbitramur utendum esse regulâ illâ hermeneviticâ,



ni, hæretici, sed etiam *Patrum* aliqui, v. g. CLEMENS ALEXANDRINVS, quin & *Recentiorum* haud pauci, ex hoc ipso loco colligunt, *nō* solum *anno* peractum fuisse totum Christi *ἡσυχία*, id quidem nostrum haud facimus, cum *vel ex solo Jobanne* contrarium demonstrari queat, ut qui in historiâ Ministerii Christi *tria* distincta *Festa Paschatos* memorat, *primum* Joh. II, 13, 23. *secundum* C. VI, 4. (ss) *tertium* C. XIII, 1. f. XVII, 28. Unde & GERH. IO. VOSSIVS, qui è *Recentioribus* hanc sententiam defendere conatus est, nullum in hac phraseologia, quod scil. de *anno tantum* sermo sit, causa suæ præsidium quaerit.

§. XIV.

Supereſt 9.) ut adjiciamus nonnihil de *variâ illâ Lectione*, quando *Vulgatus*, nec non *Arabs & Armenus*, atque è *Patribus*, IRENAEVS, AVGVSTINVS, BEDA, post *δεκτὸν* apud Lucam addunt: *καὶ ἡμέραν ἀνταποδόσεως (ss)*. Nobis de illâ sic videtur: Si omnino hæc verba in textum recipienda sint, fieri id debere *partim* ob auctoritatem Interpretis latini, & Codicis, quem habuit, nostris omnibus antiquioris, *partim* ob proclivitatem à τῷ καὶ ante *ἡμέραν* per incuriam delabendi ad τὸ καὶ initio v. seq. non autem ex hac ratione, quod alioquin *abrupta* foret allegatio Esaiæ apud Lucam, cum valdè nobis difficile, si non impossibile sit, definire, *quousque* Christum verba Esaiæ prælegerit, pro eo, quem habuit, scopo? Si conjectura hic locus foret, non sine specie ab alterâ parte dici posset, Christum ided fortè ad verba: *κρηζαι-δεκτὸν*, substituisse, quia hæc ipsa

pro-
nervicâ, quam AVGVSTINVS *Confess. L. XII. C. XXXI.* sibimet ipse fixit: *Quum alius dixerit, hoc sentit Moses, quod ego: & alius, imò illud, quod ego: religiosus me arbitror dicere, cur non utrumque potius, si utrumque verum est? potest enim uterque sensus verus esse, nec tamen uterque à Spiritu S. intentus. Sed hoc loco rectè illum adhiberi habemus persuasissimum.*

(ss) Nam *ἡμέραν* Cap. V. I. *Pentecosten* fuisse BENGELIVS evicit in O. T. p. 252.

(tt) Vid. BENGELII *Gnom.* ad h. l. nam in App. Crit. hanc variam lectionem planè prætermisit.



propriè illa erant, propter quæ hoc dictum allegavit, cum in animo haberet, annum Gratia promulgare.

§. XV.

Ecquid verò vel tandem de *applicatione* hujus oraculi ad tempora N. T. quam, ipso Christo v. 21. præeunte, omnes hodie Christiani faciunt, sentiendum est? *Σήμερον*, inquit Ille, *πεπλήρωται ἡ γραφή αὐτῆ ἐν τοῖς ὀσίν ὑμῶν* & cui aliud quid in mentem hic veniat, quàm quod Christus *sibi* hoc vaticinium vendicet, ac *in se*, tamquam subiecto ejus directè ac unicè intento, impletum esse testetur (*uu*)? Nihilò fecius fuere, qui crederent, hoc Epiphonema Christi sibi non obstare, quo minùs citatum oraculum directè ac proximè ad *Esaiam* ipsum, indirectè verò, ac remotè saltem, ad *Christum* pertinere existiment, *quia* non dicat Christus: Hodie *primum ac in me solo*, sed simpliciter: hodie impleta est hæc Scriptura (*xx*). At quàm jejuna est hæc ratiuncula? Sufficit Christum apertè ad *prædicata* innuunt, *omnem*; in nullo enim alio impleri potuit, quod in nullum alium, nisi in *solum Christum* propriè competit, cum præsertim constet, non de typicâ, sed de æternâ redemptione, ac de proprio officio Messiaë hic agi, ut adeò firma sit consequentia: Impleta est *in Christo*, Ergò non *in Propheta* (*yy*). Testatur etiam *effectus* concionis à Christo habitæ, cujus v. 22. mentio fit, (ubi omnes auditores dicuntur *Ei testimonium dedisse*, h. e. sermonem Ejus adprobasse,) quod Ecclesia Judaica istâ ætate pro certo habuerit, de Messia, non de Esaiâ, intelligendum esse hoc oraculum (*zz*).

(*uu*) *Impletum* dicit hoc vaticinium, cum Nazarethani Ipsum audirent, non quasi unico illo præconio totum implementum jam absolutum esset, sed quia *initium* complementi pignus esse debebat *progrèsus & consummationis*.

(*xx*) Ita REN. ANDR. KORTIUM in Paraphrasi Esaiæ ad h. l. p. 369.
(*yy*) Sic PAREVS ad h. l. CALVINVM hæc in parte deferens, qui in Comm. ad h. l. non Christo tantum, sed etiam Esaiæ ac reliquis Prophetis, quin & Apostolis hæc verba adcommodat.

(*zz*) Uberiores applicationis vindicias qui desiderat, ab Exegetis illas expectet.

T A N T V M!

01 A 6554


ULB Halle
002 931 222

3



R





ORACVLVM
IN
EVANG. LVCAE CAP. IV, vs. 16-21.
EX
ESAI. C. LXI, vs. 1. 2.
CITATVM,
AC
NOTIS PHILOLOGICO-CRITICIS
ILLVSTRATVM.

DEO IUVANTE
RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
IO. CAROLO LVDOVICO,
COMITE PALATINO RHENI, DVCE BAVARIAE,
COMITE VELDENTIAE ET SPONHEMII,
EQVITE AVRATO ORDINIS S. HVBERTI, rel. rel.
PRAESIDE
IMMANVEL HOFFMANN,
LING. GRAECAE PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO, DVCALIS
SEMINARII THEOLOGICI EPHORO, ET FAC. PHILOS.
h. t. DECANO,
PRO GRADV MAGISTERII
AD D. OCT. MDCCLX.
IN AVDITORIO PHILOSOPHORVM AESTIVO
DEFENDENT
THEOPHILVS HENRICVS HARTER, *Mittelftadiensis,*
CAROLVS FRIDERICVS RENZ, *Kircho-Teccensis,*
SER. STIP. ET MAG. PHILOS. CANDIDATI.

TVBINGAE, LITTERIS ERHARDIANIS.